

IOANNES FRANCISCVS PICVS  
MIRAND. IOANNI THO-  
MAE FILIO. S. D.

¶ Et cum alijs & mecum fili charissime saepe conquestus sum, multos quibus & ingenij & numerosae eloquentiae talentum deus ipse contulerit, idipsum vel sudario (quod euangelica lege cautum ne fiat) inuolutum defodisse, vel dispendiosis mercibus dilapidasse. Siquidem plerisque non sine animi indignatione contemplatus sum, alioquin literis & ingenio pollentes, qui aut opere cessarunt, aut Valerium, Martialem, Catullum, Tibullum, Propertium, alios, tum obscenos, tum vanos poetas aemulati sunt potius, quam veteris instrumenti prophetas multos, quam euangelicae legis precellentes theologos, quae res diuinas carminibus celebrauerunt. Sed enim illis qui a vera vnius dei religione abalienati, in falso & nimirum adoratione frequentes erant, minus omnino succensendum, quando eum quo (tam & si falso) tenebant, cultum praeuehebant, quae vero par poena delictis nostrantur, qui vel spurcis libidinibus decantandis omnia contaminant, vel heroica praemollibus deligentes, Homerum, Calimachum, Orpheum religionis magistros in primis & magis quam diuinos, prophetas, quam theologos etiam carmine conspicuos accersunt, sed in omnibus Orpheum saltem si sequerentur, commonerent erroris. Quandoquidem post vanum ille multorum deorum cultum in Aegypto diuersatus, & Mosaicis dogmatis assensus, palinodiam cecinit, ut refert & probat Iustinus martyr in opere aduersus gentes, cuius nos hominibus nostris interpretes fuimus. Norint utinam christiani homines non modo in deum sese, sed in artem quam profitentur committere, dum gentium superstitiones, libidinesve cantando praeuehant. Nam si prisca illi aberrare se putabant in religione iudeorum celebranda, utpote aliena ab ea cui seruebant, nec illius unquam erant memo res propter quam in irrisum & contumeliam. Multo se impensius exorbitare cogitarent, quae veram adepti sunt, & tempus nihilo secius coterunt in falsa, infestaque bonis mentibus disseminanda. Sane agnoscunt homines, facile quae nam sint ex his quos promunt animi conceptibus, nec Hadriano caesari accedendum scribenti de Voconio poeta, Lasciuus versu mente pudicus eras, nec Martiali de seipso. Lasciuia est nobis pagina vita proba. Si enim proba eorum vita, difficile obscenam & porcis similem somniarent, ne dum compotes mentis dies & noctes excolerent. Nam & bonorum quoque hominum somnia, ex diurnis cogitationibus a prauorum differre in somnijs Aristoteles censuit. Ac Nazianzenus canit  $\phi\epsilon\omicron\nu\tau\iota\sigma\iota\ \eta\mu\alpha\tau\iota\alpha\iota\sigma\ \gamma\alpha\rho\ \omicron\mu\omicron\iota\alpha\ \phi\alpha\sigma\mu\alpha\tau\alpha\ \nu\upsilon\kappa\tau\omicron\sigma$ . quae sententia duobus & sibi a Claudiano explicata est. Mihi certe videtur si Iesu Christo ut decet, addicti essent, non nihil horrerent ad appellatorem daemonum, tantum abest ut eorum nomina falso credita numina, buccis crepantibus intonarent. Itaque conspiciatus a plerisque nostrae tempestatis foedari omnia, & sub naturae velamine, Pana, tellurum, Venerem, inuocari & deos, deasque omnes accersiri, & animas a stellis deriuari, & umbras elici & manes euocari, & deos gentium in praesentia magis quam a gentibus ipsis celebrari, dissimulandum amplius non putavi, ne sacris litteris parum eruditi adulescentes, sub cooptae & eruditae linguae pretextu, quasi melle illita falsae religionis venena deglutiant, & in primis te periculi huius non mediocri admonitum volui. Non enim aduocatum surda & muta natura in auxilia mortalium, nec quae illi praesunt mentes eorum vocabulorum nomenclatura censent, nec accersitae umbrae, aut euocati manes carminibus suffragantur. Quare illorum vel reiciendi libri, vel caute legendi sunt, in quibus tamen si linguae copia precellens, probatque numeri, & liniamenta conspicua, nec non longe anxia antiquitatis emulatio, plerique tamen errores inserti, nec modo contra poetas, sed & contra decreta grammaticorum, quae tegerem libentius quam retegerem, nisi aduersus religionem ingentia facinora commisissent. Rectius multo pauci illi, qui nostra tempestate versibus sacra celebrauerunt, ut eloquio illis forte non impares, ita & inuentione & doctrina facile superiores. Tentavi & ipse quoque in praesentia de religione non nulla carmine conscribere Mosis & prophetarum, sed & Nazianzeni, Hieronymi, Sedulij, Paulini, aliorum exemplo qui diuina cecinerunt. Verum loca, ut ille inquit, auia peragrate constitui, nullius ante trita solo, quippe quae nesciam a quoque hymnos carmine heroico de nostra religione amplo numero carminum fuisse compositos. Nec admodum plerisque de christianis sacramentis ante nos numero & lege comprehensa, ut singulatim suo ordine celebrarentur. Apud gentes frequens erat ut hymnos numerosissimis & sibus, de his quos colebant componerent, quod non nullorum philosophorum carmina complura, quod Homeri etiam atque Calimachi monumenta testantur. Nam hic vno in hymno tercentos versus excessit, ille in aliquo



nec o[mn]es centū contētus fuit. & ipsi quæcunq[ue] de falsis fallacibusq[ue] dijs etiam minutula ope-  
rosissimo labore p[er]sequebant[ur], ut & incunabula canerent, & actos in pabula greges dicerent,  
& abacta furtim armēta celebrarent. Nos de vno & vero deo, de condita ab eo natura plera  
q[ue] cecinimus in hymno ad trinitatem. Mox & longe plura de Christi operibus, sed aliter q[ua]m in  
Staurosticho disseruimus, operibus inq[ui] quæ sparsa mundo & disseminata sunt, expulsis dæ-  
monibus, subuersis eor[um] templis & simulacris, de triumphatis regibus atq[ue] tyrannis, Roma-  
nis imperatoribus atq[ue] senatu sub iugum missis, tracto de tenebris terrar[um] orbe, & eius sangui-  
ne collustrato, quæ q[ua]m alijs in operibus a me celebrata sunt prosa oratione, metro, tamē ad  
p[re]sens id ipsum curauimus, tum vt isthæc quæcunq[ue] sint carmina, contaminatis illis & vene-  
natis lucubratiōibus opponeremus, & si linguæ latinæ lucis magis indiga, certe ob veritatis  
lucem multo splendidiora, quæ nec continua imitatōe freta, aliorum ve cæsis aut membris q[ua]m  
si furcillata videbunt[ur]. quam utiq[ue] notam illo[rum] pleriq[ue] fugere nequeunt, q[ui] in integris versib[us]  
in hemistichijs, in membris ex voluminibus veter[um] poetar[um] cōcerpendis ætatem consumpse-  
runt, nulla inuentōe, multa imitatōe freti, forte illud falso Terentij p[re]iudicatū habentes. Nul-  
lum esse iam dictum quod non dictum sit prius. Quis si bene audire possunt tanq[ua]m imitatores  
quos & Plato spernit, & mordet Horatius. Possunt item illud falso audire Manili[um], non furtū  
sed opus veniet. Illud vere Terentij furem non poetam fabulam dedisse, possunt cum Aesō-  
pi graculo irrideri, possunt a critico illo Aristophane sub Philadelpho furti nomine condē-  
nari, quas censuras nostra utiq[ue] carmina non phorrescunt, quæ pedestri oratōe tenacius eo  
memoriæ adherēbunt, q[ui] hic certa & p[re]scripta numeri lex adhibet[ur], ex qua insignis harmonia  
dissultat, cui & Aristotelis & naturæ testimonio mira inest p[ro]rogatiua mouend[um] affectuum  
hinc nō psalmos solum singulis diebus septies nostra canit ecclesia, cuius cessatio muneris (si  
Chrysofostomo credit[ur]) magis officeret q[ua]m solaris lucis extinctio, ver[um] & lyricos hymnos, tum  
veteres, tum novos, noctu dieq[ue] concinit, numero[rum] lege adeo delectata, vt in introitu etiā fa-  
cificij hexametru[m] Sedulij cecinerit ad virginem, Salue sancta parens enixa puerpera regem,  
ad quam & hymnum quoq[ue] p[er]cudimus, ut ex Elegia ipsa qua trium hymno[rum] argumenta su-  
mus complexi, p[er]spici datum est. Sed & p[re]cellentissimus docendi modus & sacris aptus ille est,  
q[ui] paucis multa cōphendit, quo & recte initiati admittant[ur], & excludant[ur] p[ro]phani. Et p[ro]pterea  
ut existimo, philosophis antiquis carmine dogmata tradebant[ur]. Adde q[ui] si p[ri]m[us], doctiq[ue] homi-  
nes obscœna poemata merito detestant[ur], quoniam a mellitis (vt inq[ui]t Petronius) verbo[rum] glo-  
bulis mulcent[ur] sensus, q[ui]bus facile delinitis mens deorsum trahit[ur], eadem ratōe grata esse illis de-  
bent, casta & Christo consecrata carmina, q[ui]bus ad pietatem sensus concitant[ur], & ad mentis fa-  
mulatum erigunt[ur]. Cæterum & ip[s]os quoq[ue] hymnos peculiaribus tibi cōmentarijs declaran-  
dos sumpsit, non vno tamen modo singulos. Primo em̄ adnotatōnes & glossulas subijcie-  
mus. Secundo nouo commentandi genere (vt mihi videt[ur]) declarabimus. Tertio nō nihil no-  
uæ accessionis fiet. Sed multo plura ex prioribus trahi poterunt, ne acta repetant[ur], eo autē con-  
silio id effectum, vt postq[ua]m quinq[ue] libriste in arte dialectica institui, his hymni expositōibus  
conscendas altius, & tanq[ua]m ducaris manu p[er] gradus quosdam ad arcana religionis haurien-  
da. Mox ea quæ prosa oratione, tum in philosophia, tum in diuinis edidimus volumina, fa-  
cilius intelliges, & quæ in Aristotelis quoq[ue] libros de anima p[er]ficere cōmentaria constituimus,  
q[ua]m alio & genere & stilo. Adde quod in his ipsis hymni cōmentarijs, & in secundo maxime,  
multa simul de historia, tum loco[rum], tum rerum gestar[um], tum temporum disces, multa quoq[ue]  
de inanibus gentium dogmatis confutata, multa de linguæ p[ro]prietate tractata conspicias. Mul-  
ta item de græcis eruta monumentis, ad hanc diem Latinis ignota, neq[ue] em̄ quæ vulgo expo-  
sita venere in mediū, nisi paucula & ea potius reptitia q[ua]m quæ sita, quæ si a plerisq[ue] (vt sunt in-  
uidis sæpe homines, idemq[ue] indocti) statim non p[ro]babunt, ipsi viderint, bona certe iudicia nō  
reformido, q[ua]m q[ua]m, vt ille inquit, & sua riserunt secula Mæonidem. At qui nec ipsi maleuolis scri-  
bimus, sed bonis, si ita libet, certe tibi, & si hoc etiam moleste ferunt, mihi ipsi tantum vt l[ib]e-  
nias cecini.